



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 2. Natura constituitur vniuersalis & vna per abstractionem formalem,
seu cognitionem præscindentem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

henso, & cognito habeat quicquid obiectū realiter habet: Ita vt quando ego concipio hominem meus conceptus formalis immediatē attingat simulacrum illud à me confictum, in quo ego considero prædicata similia his quæ realiter video in Petro, aut in Ioanne, qui remotè cognoscuntur in illo idolo, quatenus intellectus noster ex cognitione illius ducitur ad cognoscendum Petrum, & Ioannem. In hoc ergo idolo confictio prædicti recentiores affirmant consistere vniuersale, ipsūque idolum reperiri in Petro & in Paulo non intrinsecè, sed extrinsecè, & intentionaliter per similitudinem prototypi cum exemplari, ea ratione, quæ Cæsaris imago reperitur in ipso Cæsare.

4 Recentes alij ita se his simulacris dedere, vt omnia difficultia, quæ in Dialectica, & Metaphysica occurrunt, illis componere præsumant. Affirmant à nostro intellectu spectra quædam produci, quæ substituuntur loco obiectorum, & in illis tanquam in imaginibus ista cognosci, ita vt eatenus dicatur intellectus cognoscere animal, quatenus speculari spectrum quoddam, quod loco animalis substituitur, & eatenus dicatur rationale percipere, quatenus percipit spectrum aliud ab ipso productum, & subrogatum loco rationalis.

5 Intellectum nostrum per speciem expressam, seu cognitionem immediatē in se ipsis obiecta cognoscere, nullo idolo producto, quod immediatē attingat, seu in quo cognoscatur obiectum, tanquam in ipsius substituto probo Controu. 5. de anima Punct. 1. ad finem; ex his autem quæ ad illa impugnanda adduco, vnum præ aliis mihi magni momenti est, contra modum hæc spectra defendendi, quem secundo loco retuli. Videlicet sequi per actus supernaturales fidei, & charitatis non attingi à nobis Deum in se ipso, sed in simulacro quodam, quod intellectus loco Dei substituit, quia si intellectus tantum dicitur Deum cognoscere, quia cognoscit spectrum loco Dei subrogatum, immediatē non attingit per actum fidei entitatem diuinam in se ipsa, quod si illam non attingit per actum fidei, neque per alium intellectus actum, neque illam attingit per actum voluntatis, quia id amat voluntas, quod intellectus proponit, neque potest volitio attingere obiectum immediatē in se ipso, quod immediatē in se ipso intellectus non proposuit. Dicere autem actum charitatis erga Deum non attingere immediatē diuinam bonitatem in se ipsa, erroneum est.

6 Reicienda specialiter in præsentia sunt hæc spectra, seu idola, quia omnino inutilia sunt ad præsentem difficultatem, & alias huius affines definiendas: in primis enim illis admissis falsum est spectrum in se intrinsecè habere vniuersalitatem, ipsūque esse vniuersale, quia spectrum seu idolum animalis non identificatur adæquatè cum aliis spectris, quæ dicantur illius inferiora, neque cum inferioribus animalis, v.g. cum homine & equo: ergo spectrum animalis non est vniuersale respectu spectri hominis, & spectri equi, neque respectu ipsius hominis, & equi, cum quibus non identificatur, quia de ratione vniuersalis est identificari cum suis inferioribus, & de illis prædicari, quod sine identitate fieri nequit.

7 Dices spectrum animalis esse vniuersale respectu spectri hominis, & spectri equi, quia in illo vno cognoscit intellectus omnia obiecta, quæ in his duobus attingit. Contrà: si spectrum vniuersale dicitur respectu aliorum, quia repræsentat simul obiecta, quæ duobus aliis repræsentantur, eadem ratione posset dici vniuersalis vna cognitio Angelica respectu duplicis cognitionis humanæ, quia illa quæ homo attingit duplici cognitione, vnicè indiuisibili percipit Angelus. Eademque ratione hæc vox homo vniuersalis esset respectu harum Petrus & Ioannes, quia vox illa significat omnia indiuidua, quæ his distinctis vocibus, & aliis similibus significantur. Non ergo ad hæc vniuersalia assignanda necessaria erant illa spectra, posset enim in ipsis cognitionibus, seu speciebus expressis constitui, quæ in obiectis posset dici esse tanquam imagines in prototypo. Neque de his vniuersalibus sermo est in præsentia, sed de illis, quorum superiores naturæ cum inferioribus identificantur. Neque in ordine ad formalitates præcipientendas, neque ad alias difficultates explicandas vtilia sunt: ea enim, quæ his spectris aguntur, eodem modo possunt cognitionibus, seu speciebus expressis agi, cum enim obiecta referenda sint ad illa, loco quorum substituuntur, æquè difficile est dari spectrum relatum ad formalitatem animalis, & non ad formalitatem rationalis, loco animalis

& non loco rationalis substitutum, ac dari cognitionem immediatē relatum ad animal tanquam ad obiectum cognitum, & non ad rationale identificatum cum animali.

8 Alij recentiores apud Arriagam supra sect. 3. assentunt vniuersalitatem esse intrinsecam, & realem naturæ, pendere tamen tanquam à conditione extrinseca ab abstractione mei intellectus, quæ posita natura, quæ fuerat diuisa in inferioribus, & in vnoquoque distincta, sit per se ipsam vna in omnibus. Nusquam tam insignis figmentum referrem, ni postquam illud euulgauit Arriaga, aliquibus arriserit authoribus, qui non minori conatu, quàm difficultate illud propugnabant. Ne tamen huius genij recentiores hanc suam sententiam in meo opere desiderent, illam paucis retuli, & paucioribus impugnaui. In primis hoc vnum, quod bene expendit Arriaga, conuincit opinionem hanc chimericam esse: Qui fieri potest vt ex eo tantum, quod ego in meo cubiculo præcendam animalis prædicatum, seu habeam talē cognitionē, prædicatū animalis, quod erat in Petro existente Mariti, non tantum vniatur cum prædicato huius equi existente Romæ, sed etiam cum illo identificetur, ita vt sit verum dicere, idemmet prædicatum reale, quod modò est in Petro realiter, & à parte rei per se ipsum est in tali equo. Deinde quomodo fieri, aut dici poterit posita præcisione, ex vi cuius cognosco rationem communem animæ rationalis, omnes beatorum, & damnatorum animas, & omnium hominum, etiam Christi Domini in massam quandam confluere, & fieri vnam animam. Profectò si hæc attentè inspiciantur, alia impugnatione non indigent, simplici enim ipsorum propositione ab hominū sensibus abhorrent. Deinde in ipsis terminis, quibus hæc sententia explicatur, manifesta inuoluitur contradictio, implicat enim aliquid conuenire alicui entitati per se ipsam, & dependenter ab extrinseco connotato; quicquid enim rei per se ipsam conuenit, est cum illa identificatum, quod autem est identificatum cum re secluso quocumque extrinseco, illam necessariò semper comitatur, quia nequit aliquando id, quod est cum aliquo identificatum, ab ipso separari. Scio responderi huiusmodi formalitates identificatas dependēter à connotatis non separari quoad entitatem, sed separari quoad formalitatem ablati connotato, quia tantum sunt quoad formalitatem, quando adest connotatum, à quo tanquam à conditione dependunt. Superfedeo modo huic solutioni, quia hæc de connotatis doctrinā multis locis occurrit impugnanda, ideo ne passim eadem argumenta contra illam referrem, ex professo placuit illam euertere, vbi proprium sibi locum vindicatur, videlicet in relationibus, ex quibus ad alias materias, quibus his connotatis recentiores abutuntur, dimanauit. Ideo illam impugno Controu. 9. Metaph. Punct. 5. §. 2.

§. II.

Natura constituitur vniuersalis & vna per abstractionem formalem seu cognitionem præcipientem.

9 VT propius ad veritatem accedamus præmittenda est duplex præcisio, quam circa gradus metaphysicos & formalitates diuersas eiusdē physice entitatis authores meditantur. Quædam dicitur præcisio obiectiua ex vi cuius intellectus attingit formalitatem aliquam, quin eadem cognitione attingat formalitatem cum illa identificatam, v.g. formalitatem animalis non attacta ex parte obiecti formalitate rationalis. Alia est præcisio tantum formalis, & ex parte actus, ex vi cuius attinguntur immediatē, & per se omnes formalitates, quæ intrinsecè sunt in obiecto, seu totum physicum obiectum, seu tota entitas physica: dicitur autem cognosci formalitas animalis & non formalitas rationalis, quia obiectum illud cognoscitur per operationes illas, quas intellectus attribuit animali, & non rationali, ex quo fit vt cognitio illa attingat confusè obiectum illud in ordine ad hominem, & equum, & reliqua omnia, quæ sunt animalia, quin vnum animal ab alio animali discernat, & distinctè respectu omnium quæ animalia nō sunt. De his Controu. 4. Metaph. Punct. 8. vbi accuratè has præcisiones explico, & latè probo non posse dari præcisionem obiectiuam inter prædicata realiter identificata.

10 Fert communis Thomistarum sententia vniuersale fieri per actum intellectus obiectiue præcipientem, ex vi cuius cognoscitur prædicatum hominis, quod est in Petro, & in Paulo

in Paulo abstractum ab omnibus differentiis indiuidualibus, quin Petrus aut Paulus cognoscantur, neque ex parte actus, neque ex parte obiecti, per quam cognitionem unitas quoddam rationis impingitur praedictam hominis quod est in Petro, & praedictum hominis, quod est in Ioanne, quia intellectus rationes hominis dispersas per indiuidua media illa cognitione adan, & cognoscit ut vnum simplex obiectum unitate non reali, sed ficta per illam cognitionem, quae respicit tanquam obiectum praedictam unitatem, non enim utrumque attingit praecisas rationes hominum, quae sunt in indiuiduis, sed formaliter ut vnam simpliciter rationem.

11 Opinio haec ex duplici capite mihi est falsa, primo, quia praecisiones supponit obiectiuas, quas non dari probo Controu. 4. Metaph. Punct. 8. Verumtamen quia familiaris est multis opinio, quae has praecisiones defendit, placet his admissis de hac sententia iudicium ferre, & explicare quomodo iuxta illius principia assignanda sit vniuersalitas, seu forma, per quam natura constituitur formaliter vniuersalis. Suppositis ergo obiectiuis praecisionibus, ex altero capite relicto praedictam sententiam, videlicet quia sine fundamento impingit naturae illam rationis unitatem, ad quam terminetur cognitio, quod sic probo. Ex eo tantum quod cognitio terminetur ad rationes hominis, quae sunt in Petro, & Paulo quin attingat differentias indiuiduales, omnes illae rationes hominis apparent intellectui absque ulla distinctione, seu diuisione: ergo apparebunt indistinctae seu indiuisae; ergo omnes illae obiectiuntur per hanc cognitionem sic praescindentes inlar vnus obiecti indiuisi apti praedicari de quolibet indiuiduo inferiori contento sub ratione hominis. Confirmatur: rationes hominis, quae sunt in Petro, & in Ioanne differunt formaliter in ordine ad nostrum intellectum per differentias indiuiduales, cum quibus sunt identificate: ergo ablatis differentiis indiuidualibus aufertur id, per quod rationes istae inter se distinguuntur: ergo ablatis differentiis indiuidualibus apprehenduntur inlar vnus obiecti indiuisi: ergo praecise per hanc cognitionem abstractiuam apprehenduntur omnes rationes hominis ad inlar vnus obiecti indiuisibilis: ergo unitas illa rationis superflue superadditur his naturis & absque illa per solam intellectus praecisionem omnes rationes hominum, quae in re sunt plures in pluribus indiuiduis contractae in ordine ad nostrum intellectum apparent inlar vnus obiecti apti praedicari de multis.

12 Dices per hanc praecisionem seclusa unitate rationis tenente se ex parte obiecti naturam non apprehendi ut vnam positiuam, sed tantum negatiuam, quia unitate non apprehensa non potest vnum ut vnum formaliter apprehendi, & vniuersale debere apprehendi formaliter ut vnum unitate positiuam, quia vniuersale formaliter, & positiuum est vnum. Equiuocatio laborat praedictis discursus, confundi enim fieri vniuersale vnum, & apprehendi ut vnum, & fieri formaliter naturam vniuersalem unitate positiuam, & apprehendi ut vnam positiuam unitate, quae realiter distinguuntur, per cognitionem enim per quam fit natura vniuersalis, & constituitur ut vna unitate positiuam extrinsecam, apprehenditur tantum ut vna negatiue, eo enim ipso quod natura Petri, & Ioannis abstrahatur a differentiis indiuidualibus, & apprehendatur negatiue ut vna: resultat consequenter in illa denominatio cognita, ut vnus, per quam denominationem constituitur formaliter positiuam vna per intellectum, & vniuersalis unitate, & vniuersalitate positiuam, quae est cognitio respiciens tantum ut obiectum naturam negatiue vnam, hoc est, sine differentiis, per quas fit multiplex in ordine ad nostrum intellectum, & constituitur per se ipsam naturam vniuersalem, & vnam unitate positiuam extrinsecam, quae est cognitio. Quod si natura non tantum constituitur sit vniuersalis, & vna unitate, & vniuersalitate positiuam, sed etiam ut talis cognoscenda sit tenente se vniuersalitate, & unitate positiuam ex parte obiecti, cognoscenda erit per aliam cognitionem reflexam terminatam ad aliam cognitionem praescindentes naturam a differentiis, per quam constituta fuit vna, & ut vniuersalis unitate & vniuersalitate positiuam, & cognita tantum est vna vniuersalitate negatiua.

13 Dices, per cognitionem, per quam fit natura formaliter vniuersalis, debere cognosci formaliter ut vniuersalis, & ut vna unitate positiuam, & ita non posse fieri vniuersalem per ipsam cognitionem tanquam per formam, quia

cognitio abstractiua non terminatur ad se ipsam, & cognitio, quae cognoscitur natura ut vniuersalis, & ut vna debet terminari ad unitatem, & vniuersalitatem. Recte inferres cognitionem, per quam fit vniuersale debere terminari ad unitatem, & vniuersalitatem, & ita utramque distinguere a cognitione, per quam fit vniuersale, quia talis cognitio non terminatur ad se ipsam, si probares cognoscendam esse naturam ut vnam & vniuersalem unitate, & vniuersalitate positiuam, ex vi cognitionis, per quam formaliter constituitur talis, quod mihi falsum est; censeo enim ex eo quod natura cognoscatur ut vna negatiue, constitui formaliter vnam positiuam per ipsam cognitionem tanquam per formam extrinsecam, quia sicuti esse plura, seu distinguere per intellectum est cognosci cum differentiis, per quas distinguuntur, esse vnum per intellectum erit cognosci sine illis differentiis, quae sunt rationes differendi ab alio, sicuti enim per negationem distinctionis physicae, siue haec importet aliquid positiuum, siue negatiuum constituitur ens physice a parte rei formaliter vnum sic per negationem distinctionis intentionalis constituitur ens intentionalis existens vnum, seu vnum formaliter in ordine ad nostrum intellectum.

14 Ob hanc rationem dicunt nonnulli cognitionem factiuam vniuersalem esse cognitionem praecisiam terminatam tantum tanquam ad obiectum ad rationem illam, quae a differentiis praecinditur, & non ad aliquam rationis unitatem, resultare tamen ex hac praecisione unitatem quandam rationis in qua formaliter consistit vniuersalitas, & per quam natura formaliter constituitur vniuersalis & vna formaliter unitate, & vniuersalitate positiuam. Non probo hunc dicendi modum, quia ex cognitione tantum resultat in obiecto ad quod terminatur denominatio cogniti, quam non esse ens rationis, sed quid reale indistinctum ab obiecto quod denominatur, & ab ipsa cognitione denominante tanquam forma, probo Controu. 12. Metaph. Punct. 5. Quod si velis supra hanc denominationem cogniti aliud ens rationis resultare ab illa distinctione, denominatio fundamentum erit huius entis rationis, & prior illa ac proinde antequam intelligatur hoc ens rationis, obiectum erit constitutum formaliter vniuersale. Si vero contendas ipsam denominationem cogniti esse ens rationis, & affirmes vniuersalitatem consistere in ente rationis, quia consistit in hac denominatione, non a me dissenties in vniuersalitate assignanda, uterque enim dicemus consistere in extrinseca denominatione desumpta a praecisione formali, seu a cognitione, per quam natura sine differentiis cognoscitur, sed tantum inter nos erit dissensio circa naturam extrinsecam denominationis, quae in hoc loco non est componenda, sed ubi ex professo de natura denominationis extrinsecae disputatio instituetur, quam instituo citato loco.

15 Vidit Smigletius disp. 4. 15. q. 4. fol. 319. per abstractionem naturam ab intellectu fieri vniuersalem, quia per hanc abstractionem tollitur diuisione, seu distinctio, quae formaliter fit per differentias, quae diuisione ablata natura manet vna formaliter, & apta ut sit in multis, seu indifferens ad multa, quod est formaliter naturam manere vniuersalem, ne tamen in cognitione formaliter constitueret vniuersalitatem, asseruit vniuersalitatem consistere in negatione differentiarum tenentium se ex parte obiecti, quae essent rationes distinguendi obiectum, si ex parte obiecti cognitiones tenerentur, seu si attingerentur cognitione, quae negationes non debent apprehendi, sed sufficit non apprehendi habitus positiuos, videlicet differentias oppositas his negationibus, quia apprehensio tantum requiritur ad ens rationis, quod per apprehensionem habet rationem entis, negationes autem cum non sint entia, sed esse illarum sit non esse, non egent apprehensione, sed posito fundamento absolute conueniunt. Sic in praesenti materia, posita abstractione, seu cognitione terminata ad rationem hominis, & non ad differentias formalitatem hominis positiuam cognita conuenit ex parte obiecti negatio differentiarum indiuidualium. Eadem ratione, posita tanquam conditione terminata ad animal secundum se, & non ad aliquam differentiam specificam, ponitur ex parte obiecti cogniti, videlicet animalis, negatio rationalis. Ex hac doctrina fundamentum desumptis subtilis quidam recentior ad assignandum duplex ens rationis, quoddam positiuum factum per cognitionem positiuam, quod omnes admittunt: aliud negatiuum, quod

quod fiebat, quin cognosceretur per negationem cognitionis, supposita alia cognitione positiua terminata ad aliquid identificatum cum illo, quod non cognoscebatur quod fiebat cum cognoscebatur animal non cognito rationali, quia tunc negatio rationalis non existentis ex parte obiecti, seu ipsum non existere rationale ex parte obiecti, erat opus rationis procedens ex eo, quod supposita tendentia cognitionis ad animal non daretur tendentia ad rationale, seu negatio tendentiae ad rationale.

15 Adeo subtilis est haec doctrina ut propria ipsius subtilitate euanescat. Ex eo quod cognito animali non cognoscatur rationale, non praescinditur in ipso obiecto realiter rationale ab animali, non enim vnum praedicatum in se realiter ab alio secatur ex eo quod vnum cognoscatur sine alio, sed tantum praescinditur in ordine ad nostrum intellectum, quod tantum dicit non esse cognitum per cognitionem, per quam cognoscitur animal: ergo ficti in animali esse cognitum per cognitionem, per quam non cognoscitur rationale, nihil aliud est, quam hanc cognitionem terminari ad animal, & non ad rationale, quod non distinguitur ab hac cognitione, quia haec cognitio per se ipsam habet terminari ad animal, & non terminari ad rationale, sic in rationali non cognito, esse praesens ab animali, quod cognoscitur, quod est non esse cognitum per cognitionem, per quam cognoscitur animal, dicit cognitionem terminatam ad animal non terminari ad rationale, quod non distinguitur ab ipsa cognitione, quae per se ipsam habet terminari ad animal, & non terminari ad rationale. Stat ergo animal constitui praesens a rationali, & sine differentis in ordine ad nostrum intellectum per cognitionem terminatam ad animal, & non ad rationale, ex vi cuius reat in animali denominatio cogniti, quae non resultat in rationali per quam denominationem existentem in animali, & non in rationali constituitur animal, cognitum indiuiduum in specie, ad quas contraheretur per differentias, quod est constitui vnum, quia vnum & indiuiduum sunt idem. Stat ergo absque vlla rationis distinctione praesens per praesens naturae ad differentias, per quam natura cognoscitur negatiue ut vna constitui vniuersalem, & vnam formaliter vnitatem extrinsecam positiuam.

16 Obiicies: esse vniuersalis est cognosci: ergo non potest esse natura formaliter vniuersalis, & positiue vna, quin cognoscatur formaliter ut vniuersalis, & ut vna vnitatem positiuam. Respondeo esse vniuersalis constitui per cognitionem tanquam per formam, non vero per obiectum cognitionis: ex eo enim quod cognoscatur natura, quae in se est multiplex, negatiue vna constituitur per cognitionem, quae ita cognoscitur positiue vna. Ad argumentum in forma respondeo: esse vniuersale vniuersalitate, & vnitatem positiuam, est cognosci vniuersalitate, & vnitatem positiuam tenente se ex parte obiecti, nego antecedens: vnitatem, & vniuersalitate negatiuam tenente se ex parte obiecti, quod per ipsam cognitionem tanquam per formam habet vnitatem, vniuersalitatem positiuam, concedo antecedens: deinde nego consequentiam.

17 In sententia praescindente tantum ex parte actus, & non ex parte obiecti, vniuersale constitui per ipsam formalem praesens, seu cognitionem terminatam ad indiuidua in ordine ad connotata similia, per quam omnia cognoscuntur in alia vnius naturae vnitatem negatiuam, & constituunt, positiue vnam naturam vniuersalem vnitatem, & vniuersalitate positiuam eisdem rationibus defenditur, quibus eandem conclusionem propugnauimus iuxta opinionem obiecti praescindentem: imo ex his qui praesens obiecti defendunt, ferè omnes docent vniuersale constitui per vnitatem, & vniuersalitatem rationis, ex illis vero qui tantum praesens formales, ferè omnes asserunt vniuersale constitui formaliter per ipsam cognitionem.

18 Obiicies: Forma vniuersalis est cognitio: ergo forma vniuersalis, seu vniuersalitas datur a parte rei. Sed natura seu materia vniuersalis datur a parte rei: ergo materia, & forma vniuersalis: ergo datur vniuersale a parte rei, quod omnes Doctores vniuersales negant. Respondeo Doctores negare dari vnam naturam physicè multis communem independentem ab intellectu, & independentem ab isto dari vniuersale: non tamen negant dari a parte rei vniuersale

constitutum per intellectus operationem a parte rei existentem, quod probat obiectio, & absque vlla repugnantia concedo.

Obiicies secundò: cognitio est singularis: ergo non potest constituere vniuersale. Distinguo antecedens: est singularis entitatiue, & physicè, concedo: in representando, nego: quia non tantum representat vnum, aut alterum singulare, sed plura inter se confundit, ratione cuius, etsi entitatiue sit singularis, dicitur vniuersalitas, & vniuersale constituit, ut expresse docuit S. Thomas opusc. 55. per haec verba. *Est enim (de vniuersalitate loquitur) in solo intellectu singulari, & est vniuersalis in quantum habet rationem vnius forma ad omnia indiuidua, quae sunt extra animam prout equaliter est similitudo omnium.* Mitto eandem obiectiōem posse fieri contra illos, qui vnitatem rationis fingunt ad vniuersale constituendum, quia illa vnitatem ficta, erit in se singularis & determinata facta per hanc numero cognitionem determinatam.

Obiicies tertio: vniuersalitas consistit in cognitione: sed cognitio per quam fit vniuersale specificum hominis differt in specie a cognitione, per quam fit vniuersale specificum equi: ergo species hominis, & species equi in ratione specierum, & vniuersalium non tantum differunt numero, sed etiam in specie. Retorqueo argumentum ad illos, qui per ens rationis vniuersale constituunt: cognitiones terminatae ad rationem hominis, & ad rationem communem equi distinguuntur in specie: ergo vnitates rationis, quae ex illis resultant distinguuntur in specie, quia quoties cognitiones factiue entium rationis specie differunt, entia rationis per illas facta specie differre necesse est. Nonnulli consequentiam concedunt, qui tenentur asserere nullam dari speciem vniuersalem, quae sub se duo indiuidua contineat, sed haec omnia inter se specie differre, sicut de Angelis dici solet. Verumtamen leui argumento in hanc difficultatem se coniungunt, facile enim responderetur, cognitiones illas differre specie physicā, seu quatenus sunt vniuersalitates, seu rationes confundendi, & representandi plura indiuidua in alia vnius obiecti, quia ficti cognitio respondens huic voci *homo* confundit, & per modum vnius representat omnia humana indiuidua, cognitio respondens huic voci *equus* confundit, & representat omnia equina indiuidua, & ita tantum differunt quasi materialiter in ratione confundendi, & adiuuandi, quae ad vniuersalitatem pertinent.

Obiicies quarto, contra id, quod diximus cognitionem, per quam fit vniuersale vnum, non exprimere vnitatem tenentem se ex parte obiecti. Diuisio mentis Logica est cognitio exprimens pluralitatem tenentem se ex parte obiecti: ergo vnitatem mentis Logica debet exprimere vnitatem ex parte obiecti. Respondeo, non omnem diuisionem Logicam exprimere pluralitatem ex parte obiecti, ut patet in diuisione totius in partes Metaphysicas, quae nullam pluralitatem obiectiuam important, genus enim & differentia, in quae diuiditur species, ex parte obiecti idem formaliter dicunt, quod species ipsa. Imò ex diuisione ad indiuiduum argumentum conficio, sicut enim per actum diuidendi non representantur membra diuidentia ut diuisa, seu ut membra diuidentia, sed secundum se, & per illum actum constituuntur extrinsecè diuisa, seu membra diuidentia, sic in indiuiduo, seu adunatione intellectus non representantur illa, quae sunt indiuisa, & vna formaliter ut vna, sed tantum fundamentaliter, & constituuntur formaliter per talem actum positiue vnum, & indiuiduum, seu vniuersale.

Obiicies quinto, ad probandum nimiam similitudinem operationum non sufficere, ad hoc ut intellectus cognoscens simul plura indiuidua illa inter se confundat, & in alia vnius apprehendat. Nimia similitudo tantum potest deferuire ut intellectus successiue videns duo indiuidua illa confundat, ita ut cum hoc tantum videat, non valeat discernere, an hoc vel alterum videat, non tamen potest esse in causa, ut intellectus simul cognoscens vnum, & alterum non discernat inter hoc & illud, & cognoscat hoc ab illo distinguui, ut patet in quibuscumque indiuiduis inter se similibus, in duobus ouis, v.g. quae si successiue oculis obiciantur, non poterit intellectus discernere, an idem bis proponatur, an verò antea vnum, & modò alterum videat: at verò ut primum simul obiciantur, vnum ab alio discerneret. Respondeo nimiam similitudinem

similitudinem posse deferre ut intellectus non discernat inter illa indiuidua, etiam dum actu vtrumque simul cognoscit, quod obiectio non impugnatur. Exemplum additum ad rem non est, quia quando duo indiuidua corpora intuitiue videntur, apparent in diuersis locis, & ita quantitatibus similia sunt, ex præcæptarum destinatione, distinguuntur ab intellectu; quod si penetrata apparent, tanta poterat esse similitudo, ut postquam vtrumque simul intellectui obiceretur, non valeret intellectus vnum ab alio discernere. Ita fore credo, si duo oia omnino æqualia oculis obicerentur, in quibus vnum ab altero sensus, neque intellectus discerneret, sed vtrumque initar vnus apprehenderet.

PUNCTUM V.

De materia vniuersalis, cui contingit vnitatis.

§. I.

Iuxta obiectiue præcipientes rem dirimo.

- 1 **V**T vniuersalis essentia magis innotescat, explicanda est natura, cui tanquam subiecto contingit vniuersalitas, siue hæc in vnitatis rationis, siue in cognitione consistat, quod in opinione non præcipientem ex parte actus, et si facile dicatur esse collectionem indiuiduorum, non sine difficultate videtur posse defendi. Meum est explicare quomodo iuxta hanc sententiam formaliter, & non obiectiue præcipientem, quam amplector, res sit componenda. Cum verò gratis in fauorem communis sententia, obiectiue præcipientis suscipere explicandam vniuersalis naturam, iuxta vtramque sententiam, iam teneor difficultatem hanc in vtraque explanare, quæ non minus, imò forsan magis obiectiue præcipientes vrget, quam tantum ex parte actus præcipientes admittentes.
- 2 Vulgo dicitur iuxta obiectiue præcipientes intellectum per cognitionem præcipientem, quæ non attingit differentias, attingere formalitatem quandam realem indiuisibilem potentem contrahi secundum se totam ad quodlibet inferius, & ad omnia, quæ sub illa continentur, ita vt per cognitionem, quæ abstrahitur animal ab omnibus differentiis, & speciebus cognoscatur vnum indiuisibile sentiendi principium, quod idem secundum se totum reperitur in homine, & idem secundum se totum reperitur in Petro, & modò ad hanc speciem, modò ad illam indiuisibiliter sumptum contrahi potest, quia seculis differentiis nullum est principium, per quod differant diuersæ rationes animalis, sed omnes sunt vnum eâ ratione, quæ sine differentiis constituuntur, & quia per rationem tantum rationes illa sunt extra differentias, per rationem tantum dicuntur habere vnitatem.
- 3 Sententiam efficacissimè impugnari, mihi semper suaui, nonnulla non leuis momenti contra illam expendam. Nihil est in Petro, quod realiter sit in Paulo: ergo implicat conceptus quidam obiectiuus, qui secundum totum id, quod importat, possit prædicari de Petro, & possit prædicari de Paulo. Antecedens probauit Controu. 4. Metaphys. Punct. 3. vbi probauit omnia, quæ sunt in Petro, esse identificata cum differentiis indiuidualibus Petri. Consequentiam probo. Conceptus obiectiuus potens prædicari de Petro, & Paulo debet esse in Petro, & in Paulo: sed nullus conceptus, qui est in Petro est in Paulo: ergo nullus conceptus, qui prædicatur de Petro, & est in Petro, est in Paulo: ergo nullus conceptus, qui est in Petro, & prædicatur de Petro, potest prædicari de Paulo, cum nullus conceptus, qui in Paulo non est, possit de ipso prædicari. Dices posita abstractione resultare rationem omnino eandem, & communem Petro, & Paulo. Contra: posita abstractione non resultat in obiecto identitas aliqua realis, quia abstractio non immutat obiectum realiter: ergo tantum resultat identitas intentionalis vel rationis. Sed hæc non potest deferre ut vt verificentur de eodem subiecto illa, quæ soluta hac vnitatis rationis non habebant physicam identitatem: ergo vnitatis rationis non potest deferre ut vt rationes, quæ illa seculis realiter non identificantur cum subiecto, de illo identificentur. Huc vsque legitimus est discursus, primum enim antecedens, & consequens ex illo illatum,

admittunt Doctores, cum quibus agimus, & per se notum est recognitionem obiectum relinquere in se ipso inuariatum, ut contra recentiores supra ostendimus. Secundum antecedens est manifestum, quia verificatio sumitur ex identitate reali, quæ est inter subiectum & prædicatum, & non ex identitate, quam ego fingo, quantumvis enim ego per apprehensionem, vel quomodocumque fingam hominem identificari cum equo, tertium illud fictum ex homine, & equo, neque de homine, aut de equo verificari poterit, neque poterit verificari hominem esse equum, aut equum esse hominem. Consequentia est legitima: Pergo ulterius: sed illa ratio hominis vna per rationem, & multiplex realiter secundum totum id, quod dicit, non identificatur cum Petro, & Paulo, quia includit rationem hominis realiter identificatam cum Petro, quæ non identificatur cum Paulo, & rationem hominis identificatam cum Paulo, quæ non identificatur cum Petro: neque aliquid in illa ratione vna per intellectum reperitur, quod indiuisibiliter cum vtroque identificetur, quia rationis vnitatis cum nullo identificatur, & obiectum vnum identificatur cum Petro tantum secundum rationem hominis à Petro abstractam, & cum Paulo tantum secundum rationem hominis à Paulo abstractam, quæ realiter distinguuntur: ergo nihil est in illo obiecto vno, quod indiuisibiliter possit prædicari de Petro, & Paulo.

Verge, nihil est in Petro, aut in Paulo quando datur ratio hominis abstracta ab illis, quod non sit, quando deficit abstractio: sed quando deficit abstractio nihil est in Petro, quod sit commune Paulo, aut realiter identificatum cum Paulo: ergo neque quando abstractio adest: ergo adhuc posita abstractione, nihil datur, quod secundum eandem indiuisibilem rationem possit de indiuiduis distinctis prædicari. Idem infero in ratione generica respectu differentiarum, nihil enim potest includi in ratione animalis abstracta, quod secundum eandem rationem indiuisibilem prædicetur de homine, & equo.

Rursus si vna ratio indiuisibilis abstracta esset communis omnibus, secundum eandemmet indiuisibilem rationem ratio omnium hominum prædicaretur de Petro, & in Petro esset ratio aliqua, quæ eadem indiuisibilis esset in reliquis omnibus indiuiduis, & quodlibet indiuiduum in quocumque alio suam naturam agnosceret, quam ab ipso posset repetere, & aliud reddere non deberet, quia eodem iure illi competeat, potius posset respondere, quod petis intus habes, quia eademmet natura propria Petri, quæ esset in Ioanne, esse similiter propria Ioannis, & esset similiter in Petro, esset enim in vtroque, & vtriusque esset propria, quatenus propria cum alieno opponitur & neutrius propria diceretur, quatenus proprium opponitur communi, illa enim natura communis esset vtriusque indiuiduo.

Ob hanc rationem cenleo adhuc in opinione præcipientem obiectiue cognitionem terminatam ad conceptum hominis respicere tanquam subiectum vnitatis, per quam constituitur vniuersalis, siue hæc sit ens rationis, siue ipsa abstractio realis, rationem hominis, quæ est in Ioanne, & aliam rationem hominis, quæ est in Petro, & sic alias rationes hominis dispersas per omnia indiuidua, quæ in se etiam secundum illas formalitates, ratione quarum terminant cognitionem, realiter non identificantur, etiam si illa à differentiis mente præcendantur, & per cognitionem identificentur vnitatis extrinsecæ, quæ à cognitione non distinguitur secundum veriorum sententiam, quam vt veriorum tradidi, ex vi cuius naturæ illæ cognoscuntur vt vnum obiectum vnitatis negatiuæ, quia ex eo præcisè, quod intellectus non percipiat illarum differentias indiuiduales eas omnes inter se confundit, & eodem modo se habet circa illas, ac se haberet sensus circa duo obiecta omnino similia, & æqualia penetrata, in quibus non discerneret vnum ab alio, & eodem modo se haberet in ordine ad obiecta distinguenda, ac si vnum tantum videret obiectum, licet in re duo attingeret. Confirmatur: materia illa, cui superadditur vnitatis intentionalis, seu ficta vt condistincta ab vnitatis illi superaddita non est vna, sed multiplex. Sed natura, quæ subternitur vnitati, vt distincta ab vnitatis terminat cognitionem per quam fit vniuersalis: ergo natura multiplex, quatenus est multiplex realiter terminat cognitionem, per quam illi superadditur vnitatis intentionalis: seu rationis. Maior